



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 4. An semper est mortale, si una ex illis conditionibus desit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

& moraliter certus sit, se verum effecturum id, quod promittit. **Judicium:** ut cum discretione, prudentia, consideratione, maturo examine veritatis, ac reverentia, nec sine necessitate, & gravi causâ juretur. **Justitia** demum exigit, ut juramentum promissorium, vel assertorium de futuro sit de re licita, & honesta.

Q. 4. *An semper est mortale, si una ex illis conditionibus desit?*

Resp. I. Si veritas desit, vel putetur deesse, vel dubia sit juranti, est perjurium, & semper mortale peccatum, etiam in re levi asserta, vel promissa. *Ita omnes Theologi.* **Prob.** Quia I. Deus non potest sine gravi irreverentia, ac injuriâ adduci in testem falsitatis, sive in re magna, sive in parva, vel jocosa: *quia per hoc datur intelligere, vel quòd Deus veritatem non cognoscat, vel quòd falsitatem testari velit.* S. Thom. 2. 2. q. 98. a. 2. quod est valde injuriosum Deo; nam alias non esset summè verax, nec proinde Deus; cùm vel levissima falsitas summæ, ac infinitæ veracitati repugnet. Unde assumere Deum in testem mendacii vel levissimi est ex natura actionis Deo negare infallibilem, ac summam veracitatem. Præterea (ut ait S. Thom. q. cit. a. 3.) *ea, qua ex se sunt peccata venialia, vel etiam bona ex genere, si in con-*
tem

temptum Dei fiant, sunt peccata mortalia. Unde multò magis quidquid est, quod de sui ratione pertinet ad contemptum Dei, est peccatum mortale: perjurium autem de sui ratione importat contemptum Dei. 2. ex S. August. Serm. 28. de verbis Apost. perjurium peccatum esse, & grande peccatum, nemo dubitat. 3. Innoc. XI. damnavit hanc propos. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem. Quare omne perjurium strictè dictum, quod est mendacium juramento confirmatum, seu falsum juramentum, mortale est. Latiùs autem à S. Hieron. & in jure aliquando sumitur, nempe pro quolibet juramento illicito. etiam vero, sed sine necessitate factò.

Ergo mortaliter peccat 1. Qui jurat id, de quo dubitat, vel non est certus; nam exponit se periculo jurandi falsum. Imò pejerat, nam mentitur asserens tanquam certum id, quod putat, tale non esse, 2. Qui jurat verum, putans esse falsum; nam talis formaliter, & spectato ejus conceptu jurat falsum, & mentitur, cum loquatur contra mentem; habetque voluntatem adducendi Deum in testem falsitatis. 3. Qui jurat id, quod verum est, & tale putat, sed levis conjecturis adductus; ita Catechism. Roman. quia exponit se periculo jurandi falsum. 4. *Ex communi*, qui aliquid juramen-

mento promittit sine voluntate implendi; nam jurans, se aliquid facturum, jurat, se habere firmam voluntatem faciendi: unde si non habeat, mentitur. Vel si juret se facturum id, quod scit sibi esse impossibile; quia non potest habere propositum efficax implendi; nam propositum non est de re impossibili cognita ut tali, idque etiamsi res sit moraliter tantum impossibilis, quia jurat se facturum id, quod judicare debet non facturum. Item si dubitet, an possit, aut debeat præstare; nam pejerat, vel saltem se exponit periculo pejerandi: & in his omnibus deficit certa veritas de præfenti, quam semper in re qualibet habere debet juramentum promissorium, & quæ exigit, ut sit animus firmus, & certus promissa perficiendi.

Resp. II. Quoad defectum judicii constat i. Esse semper mortale, si defectus considerationis sit circa juramentum ipsum, vel circa veritatem, propter periculum perjurii: ut si deliberatè jures sine prudenti judicio de veritate, vel sine consideratione ad hoc requisita, etsi contingat esse verum, quod juras; nam exponis te periculo jurandi falsum. Hinc peccant mortaliter, qui factum, quod auditu tantum, vel aliis signis non omnino certis cognovunt, tanquam certò cognitum jurati affirmant: Item qui jurati de alicujus peritia judicium ferunt sine sufficienti illius notitia, &

cer-

certitudine de illa. Si verò defectus considerationis sit solum circa necessitatem & gravitatem rei, *ex communi* est solum venialis, secluso contemptu, scandalo, & periculo jurandi falsum, ut cum quis certus de veritate non satis considerat, an sit causa sufficiens jurandi.

Constat 2. Esse peccatum saltem veniale jurare sine necessitate, vel magna utilitate, ex Math. 5. *Ego dico vobis non jurare omnino... sit autem sermo vester: est, est: non, non, &c.* Et Jacob 5. *nolite jurare quodcumque juramentum... ut non sub iudicio decidatis.* Nam est irreverentia contra summam Dei Majestatem, quòd interponatur ejus auctoritas, & ipse adducatur in testem sine necessitate, vel magna utilitate, aut ad res vanas, ac leves confirmandas. Sic illicita sunt juramenta urbanitatis gratiâ emissa, ut non ingrediendi, vel egrediendi prius, defectu necessitatis, & gravitatis rei. Ea autem non videntur violari, si jurans, altero urgente, præcedat; tum quia imbibunt hanc tacitam conditionem, *si non nimium repugnaveris, non præcedam*; tum quia illud juramentum cedens in honorem alterius, remittitur ab eo, cum jure cedens contendit, ut jurans prior transeat.

Non est tamen, ex communi sententia, mortale jurare sine necessitate, vel super re levi, aut vana, sed vera, & licita; modò

absit contemptus, scandalum, & periculum pejerandi; quia in hoc non censetur gravis irreverentia. Ita S. Antonin. p. 1. Tit. 14. c. 4. ibi: *Requiritur iudicium, id est, discretio, ut scilicet non juretur, nisi in casu necessitatis, vel magna utilitatis... aliàs jurando leviter, ut communiter fit, etsi verum sit, & licitum, quod juratur, est peccatum, non tamen mortale, nisi fieret in contemptum.* Qui tamen sæpe jurant sine necessitate, pejerandi periculum incurrunt, & proinde mortaliter peccant. Nam qui sic jurant ex consuetudine, propter nimiam facilitatem, & proclivitatem per eam contractam, leviter & temerè jurant; suntque in periculo morali jurandi sine iudicio prudenti de veritate, ideòque pejerandi.

Resp. III. Quod spectat ad defectum iustitiæ, Constat 1. Eum, qui jurat, se facturum rem illicitam, sine animo faciendi, esse perjurum, quia iuramentum mendacio confirmat. 2. Eum qui jurat se facturum rem graviter illicitam, duplex mortale peccatum admittere: unum quod velit rem graviter malam, alterum contra Religionem; nam gravis est in Deum irreverentia Dei auctoritate, ac testimonio se firmare in proposito Deum graviter offendenti; in hoc enim est gravis abusus nominis, & auctoritatis Dei. Hinc c. *Qui Sacramento* 22. q. 4. dicitur, *qui Sacramento se*
ob-

obligaverit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat; pro perjurio uno anno à Communionem Corporis & Sanguinis Domini segregatus, reatum suum elemosinis, sletibus, & quantis potuerit jejuniis absolvat. 3. Esse pejus jurare de re venialiter mala patrandi, quàm de re indifferenti, vel de honesta, sine causa. Communis tamen docent, esse solum veniale grave; quia putant non esse gravem irreverentiam, nisi fiat cum quadam contumelia, vel verbis, quæ blasphemiam sonant, aut adsit periculum pejurii. 4. Esse mortale contra Religionem juramento confirmare injuriam mortalem, ut gravem detractionem veram, vel contumeliosam; nam assumere nomen Dei tanquam Instrumentum ad gravem injuriam proximo inferendam: ideòque Deum graviter offendendum, gravis est in Deum irreverentia. An autem propriam culpam mortalem præteritam juramento affirmare cum jactantia, & delectatione, sit præter culpam lethalem jactantiæ & delectationis, mortale peccatum contra Religionem? Alii asserunt, quia putant esse gravem irreverentiam; alii probabiliùs negant, eò quòd juramentum per se non cadat in illam assertionem ut malam, sed ut veram.

Not. Per præceptum, *non assumes Nomen Dei tui in vanum.* Non solum prohibentur omnia juramenta contra honorem

Pp 2 rem

rem Dei facta, sed etiam quælibet vana usurpatio ejus Nominis.

Q. 5. Quæ, & quanta est obligatio juramenti promissorii, & assertorii de futuro?

Resp. I. Est obligatio sub mortali præstandi rem licitam juramento promissam, vel assertam, saltem si res illa sit gravis. *Ita omnes, Constat 1. ex Matth. 5. Reddes Domino juramenta tua. & ex cap. 10. & II. de Jurejur. 2.* Quia hæc obligatio ex suo genere gravis est; nam est obligatio virtutis Religionis, & ex præcepto colendi Deum: Ergo ejus violatio est ex suo genere mortalis. Deinde tendit ad firmanda pacta inter homines, controversiisque dirimendas: ad quem finem assequendum necesse est, ut ex tali juramento nascatur gravis obligatio servandi promissa: alioquin hoc vinculum non esset satis firmum, & facile ab hominibus rumperetur.

Idem docent Tolet, Lessius & alii, etiam si res sit levis. Quia 1. Jurans se aliquid facturum, Deum testem assumit se non solum habere animum faciendi, sed etiam se facturum, nisi legitima causa excuset: & sic auctoritate divina se obligat ad servandum promissum, ut constat *ex communi sensu & usu.* Unde duplex veritas exigitur, una præsens, scilicet animus rem juratam præstan-